

**Nonnulla de februm pathologia et therapia : dissertatio inauguralis medica
... / auctor Nathan Reiss.**

Contributors

Reiss, Nathan.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Julii Sittenfeld, 1836.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fzdu3er9>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

NONNULLA /
DE
FEBRIUM PATHOLOGIA
ET *M. A. 439*
THERAPIA.

—
D I S S E R T A T I O
I N A U G U R A L I S M E D I C A
QUAM
CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE ~~XXIX. JULII~~ A. MDCCCXXXVI. *IV et*

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

A 30
Rei
Pol
NATHAN REISS

GEDANENSIS.

OPPONENTIBUS:

M. LITTEN, MED. ET CH. DR.

L. SALBACH, MED. ET CH. DR.

S. H. GANS, MED. ET CH. CAND.



BEROLINI,

TYPIS JULII SITTENFELD.

DEPARTMENT OF SURGERY

No. 1. + 3d

THEIR APPL.

DISSECTATIO
IN ANATOMIA MEDICA

QUAE

CONSTITUIT ANTIQVAE ANATOMIAE
METHODO MATHYSONII QUONIAM

IN

UNIVERSITATE LITERARIA
LINDENSIS CURATA

PER ANTONIUM

MEYERUM ET CHIRURGIA HONORIFICIS

ARTIBUS LINDENSIS

~~ANNO DOMINI MDCCLXXII~~ IV.

M. D. C. C. L. X. X. II.

PROFESSORIS

ANATOMIAE

NATHAN REISSER

EDIDIT

OPPOSITUS

M. LITTMER, MED. ET CH. DR.

J. SALMACH, MED. ET CH. DR.

E. M. GAYL, MED. ET CH. DR.



PROFESSORIS

ANATOMIAE

VIRO

DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

MARTINO STEINTHAL,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO
APUD BEROLINENSES MERITISSIMO,

GRATISSIMO ANIMO

1780

DOCTOREM, HONORABILIS

ALBERTUS DE

NEC NON

PHYSICUM ET MATHESICUM

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

HABE STUDIORUM PRAEDIAS

COGNATO ET AMICO

EPHRAIM HIRSCHBERG,

MERCATORI BORUSSICO-STARGARDIENSI,

OB COMMUNE LITERARUM ELEGANTIORUM STUDIUM

SIBI CARISSIMO,

AUCTOR

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

COGNATO ET AMICO

OFFERT

PIRVAH HIRSCHEBERG

RECTORI HORTICULI - STARO - RUDOLPHI

OB COMMUNE LITERARUM ELEGANTIORUM STUDIUM

SIBI CARISSIMO

AUCTOR.

CAPUT PRIMUM.

DE FEBRI GENERATIM.

§. 1.

Febris universalis totius organismi morbus est, repetendus ab irritatione, interdum spasmodica, systematis sanguiferi, quae justum inter sanguinem et nervos commercium impedit, et a sanguinis complexionem depravatam.

§. 2.

Inter morbos gravissimos febris numeranda est, ob affectionem systematis sanguiferi et nervosi ad summas corporis functiones perficiendas concurrentium. In hunc autem morbum adeo frequenter incidunt homines, ut ab omni illa morborum turba, quae mortalium animos perterret, duae fere tertiae partes ad febris dominium vindicandae sint, itaque nil mirum si majorem hominum copiam, variis febribus abreptam, diem supremum obire videamus.

§. 3.

At febris nihil aliud est nisi affectio vitae conantis mortem avertere. Organismus enim animalis nititur, ut illud inimicum incitamentum devincat et, si fieri potest, excretionem aliquam critica expellat.

Qua re febris tum solum lethalis fit, quum ob corporis debilitatem molimina illa critica parum valeant neque adjuventur, aut si causa aliqua occasionali supprimuntur.

o

Sed si exitus morbi bonus est, si in salutem febris finitur, tum ipsa febris, tanquam remedium, saepe tenacissimos status valetudinarios atque morbos chronicos sanat atque removet.

Nam per calorem atque circulationem sanguinis acceleratam, obstructions solvuntur, tumores frigidi resorbentur; corporis evolutio modica feбри provehitur, ita ut impubes citius grandescant.

Ob hanc summam atque duplicem febris dignitatem, ob ejus vim, modo perniciosam, modo salutiferam, apud Romanos tanquam numen aliquod divinum febris venerabatur.

§. 4.

Febris descriptio plerumque obscurae, ob rei difficultatem, definitionis locum tenet. Aptissimum autem habeo, illa ratione, febris intermittens accessum describere, qui illius morbi imaginem maxime normalem atque lucidam ob oculos ponit.

Cujus vero accessionis stadia sunt haec tria:

primum est frigoris sive principii,
alterum caloris sive incrementi,
tertium sudoris sive remissionis.

Stadium frigoris incipit oscitatione, pandiculatione, lassitudine, debilitate, quibus succedunt pallor et livor, unguis, labia, faciem occupans, frigus, cutis anserina, tremor et dolor artuum, cephalalgia; respiratio difficilis et anxiosa; pulsus velox, subinde tardior, debilis, parvus; vomitus; sitis; urina aquea et tenuis. Haec durant plus minus ad horam unam aut duas, raro tres, quatuor.

Quibus symptomatibus, si gravia atque urgentia sunt, occurrendum est calore artificiali, diaphoreticis frigidis e. gr. infusione florum Sumbuci cum succo citri, liquore ammonii acetici et, si debilitas permagna est, infusione florum chamomillae, melissae.

Venaesectionem inter horrorem instituere nunquam permissum est.

9

Thermometer interdum inter ipsum horrorem, ab aegroti tactu, caloris augmentationem indicat, sed id evenire tum solum videtur, si horrorem aestus antecesserat.

Horrore desinente calor exoritur ita increscens, ut interdum exurens fiat. Calor vero moderatus a solutis spasmodicis dependet, coctionem et crisin promovet. Respiratio tum liberior fit, pulsus magnus, fortis, celer redditur. Sitis et dysphoria perseverant, cephalalgia, leve delirium, congestiones, haemorrhagiae ab orgasmo sanguinis superveniunt. Urina autem parca atque rubra mingitur.

Thermometer calorem auctum plerumque indicat, interdum aegrotus solus eum sentit.

Calor excessivus quiete, potu refrigerante, acidulo, moderatur, congestiones vero graviores curam palliativam antiphlogisticam requirunt. Interdum etiam emetica poscuntur, sed haec post sanguinis emissionem solum dare licet.

Versus tertium sive sudoris stadium aestus phaenomena mitescere incipiunt, cutis mollescit et madet, sudor calidus erumpit, copiosus, cum aegroti magno levamine. Urina crassa, sedimentum lateri contuso simile deponens emittitur, aequae ac olidae alvi dejectiones. Lenis demum somnus obrepit, ex quo aeger expergefactus, praeter debilitatem, nullam molestiam accusat, bene sese habet et perfecta apyrexia gaudet.

Si vires vitae vigeant, nec causa proxima morbi modum excedat, tunc spes est, nullo opus fore medici adjumento. Sin vero illae vires langueant, tunc molimina critica adjuvanda sunt. Semper autem summa diligentia cavendum est, ne frustrentur illa molimina neve supprimantur.

§. 5.

Interdum unus febris paroxysmus causam proximam morbi subigere, atque febrem omnino tollere valet. Quod nisi contigit, accessus febris post perfectam intermissionem redeunt, immo febricitatio nunquam omnino abest, neque intermissiones, sed tantum remissiones plus minus longae occurrunt.

Quae intermissiones, remissiones, paroxysmi, exacerbationes circuitum habent, quem typum febris vocant.

Itaque febris plerumque est morbus ex pluribus invasionibus compositus. Clare hoc demonstrant febres intermittentes, sed etiam continuae pleraeque e pluribus paroxysmis febrilibus, quorum unus alterum subintrat, compositae sunt.

§. 6.

Typus febrium aut regularis, ordinatus, exquisitus, fixus aut indefinitus, erraticus, vagus, dubiosus pro virium vigore et defectu, et pro materiae et irritationis culpa fit.

Sunt vero febres subintrantes, nova accessione incipiente priusquam praecedens paroxysmus omnino exivit, subcontinuae, remittentes, intermittentes. Atque febres illae intermittentes accessiones habent:

quotidianas, tertianas, quartanas, tam simplices, quam duplices, triplices.

In typo tertiano intermittantium unus solum dies inter duos paroxysmos interpositus est, hac ratione:

1, 2, 3

3, 4, 5

5, 6, 7

Dies impares maxime critici sunt.

In typo quartano post intermissionem duorum dierum paroxysmi reveniunt, ea ratione, ut in periodorum circulo quaternarii duo debeant conjungi, duo disjungi, tali modo:

1, 2, 3, 4

4, 5, 6, 7; 8, 9, 10, 11

11, 12, 13, 14; 15 — 18

18 — 21

Dies pares autem hic maxime critici observantur.

Continuae vero febres, pro moliminibus criticis, typum trium, septem dierum sequuntur. Atque in eo differunt febres continuae remittentes ab intermittibus, quod intermittentium accessiones horis matutinis, remittentium exacerbationes horis vespertinis supervenire solent.

Curationi vero remissiones illae maxime opportunae obviae fiunt, nam in ipsa exacerbatione atque accessu vis medicatrix naturae potentior et nulla nisi cura palliativa opus est.

§. 7.

Indoles et natura febrium pro constitutione corporis plus minus valida, et pro causae nocentis vi et actione multiplex et varia est.

Inprimis autem febris activa, passiva, sthenica, asthenica distincte adnotandae sunt.

Febris activa cognoscitur insigni contra inimicum incitamentum febrile systematis sanguiferi reactione, ita ut vis vitalis provecta atque aucta esse videatur. Diagnōsis inprimis decursu febris, qui regularis, sibi constans, remittens immo intermittens, nunquam continuo continens est, certa fit. Stadium morbi intransiens, acmes et judicationis optime distinguuntur.

Febris passiva praecedenti omnino opposita est. Inde ab initio febris prostratio virium maxima adest, atque vim medicatricem naturae, nisi omnino deest, maxime restrictam atque oppressam esse intelligimus. Symptomata nullo modo inter se congrua, non constantia, inexplicabilia, functiones perversas, laesiones systematis nervosi praecipue accusant. Ob quam rem interdum spasmi, inflammationes acutissimae superveniunt, atque vim vitalem in una organorum provincia summo vigore agentem demonstrant, dum in alia regione omnino eam suppressam esse patet. Itaque prostratio virium sine dubio spuria interdum et a nervorum laesione derivanda est.

Febres autem passivae fere semper malignae sunt atque in metaschematismum, metastasin, gangraenam, colliquescentiam abeunt.

Febris sthenica et hypersthenica in eo differt a febre activa, quod illa ob oculos ponit vis medicatricis vigentem actionem ad causam nocentem subigendam sive tollendam, febris autem sthenica nil nisi effectum incitamenti externi alicujus observationi offert, nam ob fibrarum nimium tonum, ob constitutionem organismi irritabilem, irritationis et incitamenti imperium in cor et arteriarum systema quam maxime viget, neque subacto incitamento, sed non nisi eodem, causa occasionali aliqua, cessante febricitatio desinit.

Febris hypersthenica et sthenica ab activo diagnoscutur typo continuo continente, sed interdum in activam febrem abit, atque remissionibus et judicatione critica gaudet, quod nisi contigit, inflammationes locales plerumque provocantur. Nonnunquam debilitas spuria, a plethora sanguinis derivanda, diagnosin febris sthenicae difficilem reddit.

Febris asthenica indolem debilitatis prae se fert, quae debilitas si in systemate nervoso nidulatur dysphoriam permagnam, dispositionem spasmodicam efficit; si vero in systemate irritabili sedem tenet, lassitudinem, fibrarum toni diminuationem, functionum reproductivarum laesionem secum fert. Facies autem pallet, collapsa est, extremitates ad attactum frigidae sunt. Hydropes superveniunt.

Decursus febris asthenicae continuo continens est, atque epacmasticus, nam morbus et ejus causa proxima inter ipsum febris decursum augmentantur atque ingravescent. Sed sunt etiam febres asthenicae remittentes immo intermittentes.

Diagnosin autem illius febris certa fit, pulsu debili, facile comprimeudo, parvo, irregulari, modo celerrimo, modo justo rariore, molli.

§. 8.

Maximi interest febrium differentias cognoscere, quae a morbi characteris discrimine proveniunt. Nam febris character pro constitutione individuali, morbi fomite, et pro causae nocentis influendi ratione sive pro irritationis infensae loco atque sede multiplex et varius est.

Probantur autem illae divisiones, quae petuntur a certis quibusdam notis, quae primo statim aspectu observanti se offerunt. Quam ob rem communior et generalior divisio, quae nosologis arridet, a typo febrium ducta est, illam vero, quae ab origine morbi et a numero eorum, qui simul laborant, desumpta est, rejiciunt, tamquam incertis et dubiis fundamentis nitentem, atque multis erroribus occasionem suppeditantem.

Neque in dubium vocari potest, num typus febrium earum naturam aliqua ex parte indicare valeat, nam ipsi supra exposuimus, febrem activam, passivam, sthenicam, asthenicam peculiarem accessuum et exacerbationum ordinem sequi. Attamen haec accessuum fabrilium ratio cum febrium essentia atque characterem minime conjuncta est, nam haud raro typus unus in alterum transit, dum character et essentia febris nullo modo immutatur.

Praeterea id non concedam, facilius esse typum febris observare, quam numerum aegrotantium atque graviora illa ab initio morbi symptomata, fere sine prodromis, supervenientia, quibus febres epidemicae excellere solent.

Ex his colligo, utilius fore hanc febrium divisionem exserere, quae genus sporadicum atque genus epidemicum proclamat.

Nam febrium sporadicarum origo atque causae manifestae plerumque sunt, quarum aliae ab animo, aliae a prava corporis constitutione proficiscuntur, praeterea innumerae causae peculiare, crapula, ebrietas, incontinentia, retenta acria, violenta exercitia, victus ratio perversa morbum intrantem expeditissime explicare valent.

Febrium vero epidemicarum causa remota communis existere debet, quia plures homines eodem tempore afficit. Eandem facile intelligimus indolem perniciosissimam induere, quum nec sani ab ejus infensa aggressionem tuti sint. Patet vero febres a causis epidemicis excitatas essentialiter inter se differre pro origine miasmatis terrestri, imprimis paludosa, et fonte ejusdem animalis. Quum autem intima miasmatis natura saepissime omnino occulta sit, nullam aliam fere nisi empiricam curationem illis febribus opponere possumus. Praeterea fere omnes febres epidemicae semel, rarissime pluries eundem hominem afficiunt, dum contra sporadicae febres recurrere amant, atque curationem rationalem facillime indicant. Itaque febrium divisionem ab essentia et causis deducimus, quibus has febrium differentias constituimus.

CLASSIS PRIMA.

Febres sporadicae.

Genus primum: Febres simplices.

Species: Febris inflammatoria.

Febris nervosa.

Febris putrida.

Genus secundum: Febres complicatae sive compositae.

Species: Febres gastricae (saburralis, biliosa, pituitosa, verminosa).

Febris catarrhalis et rheumatica.

CLASSIS SECUNDA.

Febres epidemicae.

Genus primum: Febres ab effluvio paludoso exortae
(Intermittentes, febris flava).

Genus secundum: Febres ab effluvio animali exorientes.
(F. Typhodes.)

§. 9.

Symptomatum febrilium aequae ac decursus morbi examine diligenter instituto, facile comperitur, qualis sit pro-

gnosis emittenda, utrum periculum immineat an omnino absit.

Febres mitissimae et securissimae, ut ait *Hippocrates*, die 4, aut ante desinunt, maxime vero malignae die 4 aut prius interficiunt. Praenot. 122. Primus febrium insultus ad dies 4, secundus ad 7, tertius ad 11, quartus ad 14, quintus ad 17, sextus ad 20 excurrit. Praenot. 122.

Quibus per febres sexto die rigores fiunt difficulter judicantur. Sect IV. aph. 29.

Praecipuae autem et constantiores febris notae statuuntur calor excedens, pulsus creber, appetitus deficiens, totius corporis debilitas et quaedam in obeundis functionibus, tam vitalibus quam animalibus, difficultas.

Quando autem cor et arteriae motu et robore pollent, ut causas resistentes, quas ipsius sanguinis plethora, acritas aut spasmi praebent, exsuperare possint, tunc calor omnino sese expandit, humorum resolutionem, coctionem adjuvat, ita ut excretionibus criticis urinae sudoris, sputorum, vomitus, dejectionum alvi supervenientibus febris evanescat.

Jam vero illa symptomata enumerabimus, quae characterem imminentis periculi prae se ferunt, quae haec fere sunt: decursus irregularis, non sibi constans, debilitas magna, laesiones locales graviores, deliria, sopor, dedolatio permagna, respiratio anhelosa, anxia, intercepta, facies collapsa, rigor oculi, lingua aspera scissa, haemorrhagiae passivae, sudores nimii et alia colliquescentiae signa.

Sed febres inflammatoriae plerumque benigniores, quam nervosae atque putridae esse solent.

In universum autem in sporadica et spontanea febris si pura fuerit, vitae periculum quidem, sed minus esse solet, majus in epidemica et contagiosa itemque in illa, quae cum putrida sanguinis dissolutione complicatur.

§. 10.

Curatio febrium pro earum natura atque characterem et pro symptomatum urgentia varia esse debet. Interdum

compescentia et sedantia, interdum methodus exaequans aut excitans, modo emetica, purgantia, modo adstringentia requiruntur. Praeterea febres epidemicae curationem empiricam, specificam postulant.

Derivantia externa, sinapismi, balnea saepissime in auxilium vocari debent.

Regimen sive victus ratio in febres sanandas summam vim habet.

CAPUT SECUNDUM.

DE FEBRIBUS SPORADICIS.

A. De febribus simplicibus.

Si excessus alicujus systematis aequilibrium virium vitalium in organismo tollit, si constitutio individualis eminenter irritabilis, nervosa, lymphatica, modo congenita, modo acquisita, morbi quasi fomitem praebet, tum facillime causa aliqua occasionalis, animi pathemata, victus ratio perversa, aëris intemperies, febrem simplicem, id est nulli peculiari functionum sive organorum laesioni conjunctam, accendit, modo inflammatoriam, modo nervosam vel putridam.

§. 1.

FEBRIS INFLAMMATORIA.

Synonyma. Synochus imputris *Galenii*. — Synocha *Stahli*, *Culleni*. — Continua inflammatoria *Petri Frank*.

Actiologia. Causae praedisponentes: aetas juvenilis, fibra exercitata, diaeta carnea, spirituosa, aër siccus, frigidus, hyems.

Causae excitantes. Exercitatio nimia, ingesta spirituosorum magna vis, plethora sanguinis, vulnera, graviditas.

Symptomata. Horror initio validus, pulsus fortis, durus, urina rubra, sitis, caloris et omnium symptomatum harmonia cum pulsu, constantia symptomatum.

Facies rubra, oculorum splendor, olfactus deperditus, lingua alba aut praerubra, humectata tamen. Cephalalgia, dolor lumborum et lassitudo. Somni breves et cum insomniis. Delirium. Alvus nulla aut rara et sicca.

Crusta inflammatoria in sanguine emisso. **Natura et decursus.** Febris inflammatoria simplex, aut activa, aut sthenica est. Febris uno tenore pergit, vesperi noctuque parumper aucta, sine frigore tamen, donec circa auroram nisi hypersthenica est, modice mitescat.

Decurrit non interrupta et absque periodo, intra 14 dies plerumque, subinde citius, ut levissima inter nychthemeron terminetur.

Causa proxima morbi. Irritatio permagna systematis sanguiferi.

Prognosis. Febris inflammatoria plerumque salutaris est et inter depuratorias collocatur. Terminatur vero in salutem benigna resolutione, crisi bona, sudoribus, haemorrhagiis, urina, interdum per solam auctam perspirationem, rarius alvi fluxu. In mortem febris hypersthenica terminatur inflammationis magnitudine, gangraena, congestionibus permagnis, abscessu interno clauso, non aperiundo.

Curatio. Saepe sola natura, motu febrili, se liberat. Si autem medicatione opus est, methodus antiphlogistica convenit, phlebotomia larga, iterata, potus refrigerans, diaeta econsimilis, quies corporis et animi. Circulationi nimis acceleratae digitalis opponitur.

Sales neutri, prae ceteris blandissimi, alvum solvunt, emesi raro opus est. Derivantia externa, clysmata, curam adjuvant.

§. 2.

FEBRIS NERVOSA.

Aetiologia. Causae praedisponentes: Nervi debiles, nimiae evacuationes humorum praestantium, abusus veneris, deprimentes animi passiones.

Causae excitantes. Immodicae vigiliae, lucubrationes, labores assidui, alimenta insalubria, diu toleranda inedia.

Quibus ex causis debilitas sive asthenia provenit, cujus tamen diversitas notanda est. Alii enim aegroti non nisi debilitate irritabili, alii debilitate syncoptica, sive vera virium vitalium prostratione laborant, unde desumtae sunt hae febrium nervosarum differentiae: febris nervosa versatilis sive cum erethismo, et febris nervosa stupida sive cum torpore.

FEBRI NERVOSAE VERSATILI

maxime obnoxii sunt natu minores.

Symptomata. Reactiones systematis nervosi abnormi modo auctae, ejusdemque functiones ita alienatae, ut nullam inter se relationem habere videantur. Itaque hyperaesthesia et sensationes perversae hanc febrem comitantur.

Natura et decursus. Post stadium prodromorum febris horripilationibus intrat, ab initio sub specie affectionis catarrhalis latens, deinde phaenomena nervosa atacta plane inexplicabilia superveniunt. Euphoria et dysphoria cum ceteris symptomatibus nullo modo congruens.

Sitis permagna dum lingua madet, adypsia dum linguam aridam atque siccam observamus. Cutis inaequaliter calida. Pulsus 130 ictuum, parvus, modo debilis, modo spasticus.

Decurrit typo remittente, versus vesperum, modo erratico, horis indefinitis, exacerbescens. Crisis autem manifesta et materialis deest. Interdum somnus, crisi insensibili, febres nervosas dijudicat. Plerumque lysis tantum obser-

vatur. Lenta esse solet et per 4, 5, hebd. continuare, chronicam autem indolem nunquam induit.

Causa proxima morbi. Febris nervosa simplex, versatilis, nervorum irritationem accusat, quae efficit, ut omnes functiones animales et vitales irregulari atque perverso modo perficiantur. Sanguiferi vero systematis reactio inter exacerbationes solum adaucta esse videtur.

Prognosis. Convalescentiae indicia haec fere sunt, sudor universalis, calidus, urina nubeculam monstrans, deliria vespertina diminuta, typus remissionum magis ordinatus.

Si autem vita in illo cum morbo certamine devincitur, tum obvia fiunt phaenomena spastica, subsultus tendinum et singultus spasticus; deliria crescunt, sudores frigidi locales erumpunt, urina limpida aquosa aut plane suppressa est, sopor delirii locum usurpat, interdum apoplexia morbum terminat.

Curatio. Praecipuam habemus indicationem, erethismum illum nervosum atque nervorum actionem atacticam removendi et tollendi. Qua re non roboratione sed methodo exaequante opus est.

Itaque interne adhibeantur nervina antispasmodica atque tonica nervorum, e. gr. infusio radicis Valerianae, florum chamomillae, liquor cornu cervi, castorii et moschi doses parvae. Externe administranda sunt balnea calida, frictiones antispasmodicae, clysmata, synapismi.

Diaeta et imprimis potus eandem indicationem sequi debent. Infusiones blandae ex mucilagincis atque aromaticis speciebus paratae, decoctiones ex hordeo, gramine, quibus saccharum et aliquid vini additum est, utiles sunt.

Alimenta restaurantia atque adstringentia amara, summa praecautio, tum primum porrigere licet, si jam diutius febris continuavit.

FEBRIS NERVOSA STUPIDA

Indolem fere paralyticam prae se fert, dum illa versatilis ad inflammationem propius accedit.

Symptomata. Apathia permagna obrepit. Horripilationes superveniunt. Lassitudine et torpore insolito aeger, adhuc obambulans, laborat. Paulo post his se adjungunt nausea, ciborum fastidium. Caput magis magisque gravatur, incalescit, obnubilatur; pulsus crebriores, celeriores fiunt, sed languidi semper et inordinati, quibus cum conjungi solet quaedam spirandi difficultas et pectoris angustia atque oppressio. Magnus stupor, aut obscurus dolor et quid frigoris sensus posteriorem capitis partem tenet, aut dolor gravans sinciput etiam circa suturam coronalem occupat. Calor, ut plurimum, mitis, neque facile exardescit.

Natura et decursus. Post quinque aut sex stadii prodromorum dies, malum in dies augmentatur, jam loqui et moveri piget, et jam lecto aeger affigitur, tum quæerenti vix respondet. Urina tenuis emittitur, aut cerevisiae similis, non raro etiam subnigra, subinde crassior, farina quasi inspersa. Inter septimum et octavum diem omnia ingravescunt. Gravitas et dolor capitis acerbius vexant. Aeger secum obmurmurat. Pectoris oppressio, virium languor et defectio ita increscunt, ut animi deliquia et syncope quum e lectulo aeger surgere nitatur eum corripiant. Typus continuo continens est.

Causa proxima. Debilitas syncoptica nervos et cerebrum potissime afficere videtur.

Prognosis. Qui ex hac febre convalescunt adeo hebetes remanent, ut vim mentis atque sensuum aciem, nisi post longum temporis intervallum, recuperare nequeant.

Ceterum si circa nonum, decimum a decubitu diem lingua humida fit, si sputa uberiora fluunt, si alvus leviter laxatur, aut cutis leni madore humectatur aut alterutra auris abscessum patitur, aut pustulae latae labias et aures occupant, sperari licet aliquam bonam crisin. Contra si alvus immodice fluit, unde crebrae animi defectiones impendent, si lingua tremit, si extrema frigent, si pulsus fluctuat aut vermicularis est, si tendines subsiliunt, si visus aut auditus deperditur, si excrementa inscito aegro exeunt

jure timeri potest exitium. Eorum vero, qui subita desperatione capiuntur, et nullis eriguntur promissis, nemo servatur.

Curatio. Curationis indicatio haec est, ut vires oppressae erigantur et leni stimulo incitentur.

Inter cardiaca huic feбри illa conveniunt, quae aromatico stimulo praedita sunt, quia attenuant, incidunt et blande excitant. Celebrantur radix contrajervae, angelicae, sales volatiles succini, camphora et alia similia. Aegrotis autem altissimo torpore laborantibus cum phosphoro, cantharidibus, efficacissimis nervos excitantibus pharmacis succurrendum est.

Virium ratio suspectam sanguinis missionem reddit, eadem causa purgationi adversatur. Alvi ductione praestantior atque utilior est emesis.

Derivantia externa nullo modo negligenda sunt.

Diaeta et potus ea ratione instituenda sunt, ut vires oppressae erigantur atque leni stimulo incitentur. Nec potus frigida in hac feбри danda est.

§. 3.

FEBRIS PUTRIDA.

Synonyma. Synochis putris Veterum.

Aetiologia. Febris putrida rarissime primaria est, sed debetur aliis morbis, qui diutius in corpore grassati sunt, imprimis cachexiae scorbuticae et feбри nervosae stupidae. Ceterum ex causis nervosarum februm provenit, solidorum, fluidorumque degeneratione majori.

Symptomata. Praecedunt temulentia capitis, anorexia, carnis fastidium, os insipidum, amarum, maxime mane, sensus repletionis etiam ante pastum, frontis dolor obtusus, dolores vagi, artuum frigus fere assiduum; sudores, urinae, alvus magis olida; somni turbati.

Natura et decursus. Incipit demum febris a frigore et ad duas immo tres hebdomades produci solet. Pulsus magnus, vehemens, celer et frequens, inaequalis, inordi-

natus. Urina crassa, rubra sine sedimento. Sitis ingens. Calor ad attactum mordax. Haec febris indolem passivam prae se fert, ejus typus aut continuus, aut remittens est.

Causa proxima. Febris putrida non veram et perfectam sanguinis putredinem aut corruptionem accusat, sed imperfectam et potius ad colliquescentiam ejus proclivitatem designat. Sanguificatio diminuta, imperfecta, complexio sanguinis magis venosa est, quae cor et arterias ad actionem morbosam incitat, quae tamen indolem debilitatis habet.

Prognosis. Si die septimo coctionis signa accedant, salutariter decima quarta terminabitur. Si tardius coctio adveniat, ad vigesimam primam aut ultra protrahitur perfecta solutio. Urina quo rubicundior et crassior est inter initia, eo tutior et brevior morbus esse consuevit. Urina alba exitium portendit.

Pulsus parvus, contractus, inaequalis, et spasticae affectiones, male ominentur. Vigiliae pertinaces, respirationis difficultas, anxietas, delirium indicia mala.

Terminatur illa febris in salutem evacuatione gastrica, sudore, exanthemate miliari, aphthis, salivatione, urinis; in morbos alios metastasi varia, parotitide; in mortem gangraena partiali, inflammatione interna, apoplexia serosa.

Curatio. Indicatio summa desumenda est a morbo primario, et a degeneratione septica humorum et partium solidarum, nec minus a debilitate. Conveniunt igitur analeptica et antiseptica, inprimis acidum sulphuricum, dilutum, atque cortex chinae. Irritatio systematis sanguiferi potu acidulo moderanda est, salia autem neutralia nocent.

Supervenientibus spasmodicis affectionibus moscho inprimis succurrendum est.

Haemorrhagiis passivis, nimiis alvi dejectionibus ceteris colliquescentiae urgentibus signis cura palliativa opponitur.

Externe epispastica, rubefacientia, vericantia balnea in auxilium vocantur.

B. DE FEBRIBUS COMPLICATIS.

Febres complicatae illae audiunt, quae gravem aliquam atque peculiarem functionum laesionem ob oculos ponunt. Praecipue autem gastricae, aut catarrhales, aut rheumaticae febrium simplicium complicationes notandae sunt.

§. 1.

DE FEBRIBUS GASTRICIS.

Tractus intestinalis processuum chemico vitalium gravissimos perficit, peculiare enim hos humores: salivam, succum gastricum, pancreaticum, bilem habet, quibus nutrimenta ingesta assimilantur, chylus praeparatur, residua autem ciborum inutilia separantur. Quarum functionum laesiones modo ex febris aliqua proveniunt, modo simul cum febris communi ex causa oboriuntur, interdum multo prius apparent, quam ipsa febris intrat.

Distinguuntur autem a nosologis febres gastricae legitimae et illegitimae, quarum ordo primus febrem saburralem, secundus catervam febrium biliosarum, pituitosarum et verminosarum amplectitur.

Status gastricus. Antecedunt causae, quae ciborum coctionem laedunt, perturbant et depravant, quae perspirationem cohibent et ad intestina convertunt, quae bilem uberiores aut aciores reddunt, fibrarum robur minuunt, motum humorum in imo ventre retardant, cruditates, sordesque ventriculo aut intestinis suppeditant.

Itaque febris saburralis, saburra, aut sordibus primarum viarum provocata est; febris biliosa exorbitanti bilis secretionem stipatur, ob quam rem jecoris affectio primaria aut secundaria supponenda est; febris pituitosa excellit profusa pituitae viscosae secretionem, quae totum tractum intestinale obducit.

SYMPTOMATA AFFECTIIONUM GASTRICARUM.

Lassitudo, lumborum dedolatio, anorexia, nausea, vomitus, os amarum, soda sive ardor ventriculi ex aciditate,

oppressio praecordiorum, flatus, borborygmi, dolores vagi in intestinis, obstipatio aut diarrhoea.

Cephalalgia vehemens, pungens in regione frontali atque temporali.

Statum biliosum indicat lingua obducta flava, vomitus biliosus, sudor largus nidorosus, urina jumentosa cum sedimento flavo.

Natura et decursus febris. Febris continuae remittentis naturam servat quotidianae, tertianae simplicis aut duplicatae, cujus accessiones vomitu, sudore largo, urinis copiosis, jumentosis, terminari solent. Incipit febris horripilationibus, per vices aeger incalescit, donec tandem calore sicco atque acri exardeat. Capitis dolor ingravescit. Pulsus magnus, vehemens, sed non durus. Sitis affligit.

Pavor dormientes crebro et repente excitare consuevit, immo vigilantibus quandoque adeo infestus est, ut ex levi quavis causa saepe contremiscant et trepident.

Si causa excitans febris biliosa e fuerit gravior, acrior, et praeter illa symptomata produxerit inflammationem universalem, tum morbus febris ardens sive causus audit. Cujus symptomata primaria: calor ad tactum fere urens, immo aliquando ipsum aërem exspiratum incendens; siccitas in cute tota, naribus, ore, lingua; respiratio densa, anhelosa; delirium, convulsiones, constituunt.

Prognosis. Morbus in sanitatem vertitur dejectionibus criticis. Symptomata omnia pacantur, accessiones minori vi reveniunt, citius remittunt, lingua naturalem colorem et humiditatem acquirit, gustus emendatur, redit cibi cupiditas. Symptomata autem his contraria exitum perniciosum indicant. Gravissima autem signa sunt, deliria, sopor, excrementorum aegroto inscio dejectio, muscarum venatus, pulsus exilis, celer, inaequalis, obscurus.

Curatio. Morbi character atque ipsa ratio postulat, ut quam citissime omnis e primis viis saburra expellatur, inflammationis si quis timor est, inprimis jecoris, aut metastaseos provide avertatur, spasticae solidarum partium

affectiones tollantur, et colliquescentiae sanguinis, quoad fieri potest, obviam eatur. Itaque febris comitantis ratio habenda semper est.

Pro turgescencia sordium vel sursum vel deorsum modo emesis modo purgatio praeferenda est.

§. 2.

DE FEBRI CATARRHALI ET RHEUMATICA.

Aetiologia. Febris catarrhalis et rheumatica a perspiratione cutis impedita originem ducunt, supprimitur autem illa perspiratio subita refrigeratione. Ob quam rem illae febres multos aggrediuntur tempore aequinoctium, ob repentinas tempestatum mutationes.

Symptomata febr. catarrhalis. Praecedit vel continuo subsequitur coryza sive gravedo, catarrhus, sternutatio, lacrymarum profluvium, oculorum rubor, faucium phlogosis et dolor, raucedo, tussis. Cum his saepe conjungitur cephalalgia, lassitudo.

Natura et decursus. Invadit potissimum sub vespere, frequenti potius et repetita horripilatione, quam frigore et horrore. Mitis ut plurimum est, et postquam aliquot horas increvit, solet circa mediam noctem sese remittere. Remissio autem ad totum fere diem producitur, donec iterum vesperi ordinata periodo resurgat et recrudescat. Septenario primo aut altero febris terminatur.

Interdum febris indoles gravior est.

Causa proxima. Membranae mucosae affectione fere inflammatoria laborant.

Prognosis. Illa febris plerumque benigna est, atque sudoribus copiosis, urina rosea, quae sedimentum furfuraceum deponit, sese dijudicat. Sputa crassiora purulentia ejiciuntur. Interdum in alios morbos imprimis in phthisin febris catarrhalis abit.

Curatio. Perspiratio promovenda est. Quies et lectuli tepor et largus tepensque potus, qui diluat, temperet et leniter secretiones omnes sputi praesertim et sudoris da-

juvet, cum tenuiore victus ratione sufficient. Ceterum febris comitantis character respiciendus est.

Symptomata febris rheumaticae. Praecedunt aut simul cum febris superveniunt dolores lacerantes, pungentes, qui in membranis serosis et fibrosis migrant.

Natura et decursus. Febris horrore incipit atque post nonnullas horas remittit, sed facillime aëris intemperie redit. Cujus febris typus continuo remittens est. Ab initio character febris inflammatorius est, sed interdum in nervosum immo in putridum transit. Septenario primo aut secundo terminari solet.

Causa proxima. Affectio rheumatica nidulatur in membranis serosis atque fibrosis, itaque etiam involucra et tendines musculorum et nervorum vaginae ab eo occupantur. Nam serum et lymphæ copia aut lentore aut acrimonia aut omnibus his vitiis peccare videntur.

Prognosis. Terminatur in salutem sudoribus copiosis, praecipue in partibus laesis erumpentibus, urina rubra, turbulenta, sedimentum vel rosaceum vel album deponente.

Interdum febris inflammatoria, nervosa, putrida rheumatismo sese adjungit atque prognosin dubiam reddit.

Curatio. Mittatur sanguis. Utatur victu tenuissimo, potu tenui ex aqua et melle. Balnea calida, sinapismi, vesicantia adhibeantur.

CAPUT TERTIUM.

DE FEBRIBUS EPIDEMICIS.

Sermo de febribus annuis hic non erit, quia constante quadam lege recurrunt, aëris et tempestatum mutationes esse sequentes, itaque a sporadicis morbis nullo modo differunt, nisi solo aegrotantium numero.

Sed illas considerabimus febres, quae ex causa non manifesta exorientes, malignitatem recondunt, vitamque permultorum hominum simul in periculum vocant, quum aut aër principium venenatum vehens, aut halitus et vapores ab ipsis hominibus manantes morbum diffundant.

Malignitatem vero ostendunt imprimis subita atque inexpectata virium dejectione, et symptomatibus illis longe gravioribus, quae in simili affectione sporadica animadvertuntur. Atque statim ab initio has febres comitatur dolor vehementens alicui parti, capiti, intestinis affixus, qui usitatis remediis minime cedit. Quibus febribus plerumque curatio empirica opponitur, sed qui convalescunt, potius naturae medicatrici, quam medico gratiam referant. Nam methodi maxime inter se differentes et oppositae, contra eundem epidemicum morbum in auxilium vocatae, plerumque neque convalescentium neque obeuntium numerum modificare valent. Ceterum recurrere morbi epidemici post convalescentiam non amant, sed potius dispositionem in eos pronam tollunt.

Constituenda autem sunt febrium epidemicarum duo genera, prout ex effluvio terrestri, paludoso, vel ex effluvio animali originem ducunt.

§. 1.

DE FEBRIBUS EPIDEMICIS, PALUDOSIS, TERRESTRIBUS.

Acre epidemicum, inspiratum, aut aliter corpore receptum, illud intelligendum est, quod halitus et vapores,

e terra, sive humida, sive palustri, sive aliter insalubri, elevati, aëri impertiunt, aut aliunde venti quidem ad nos transferunt.

Febres autem paludosae, non contagiosae sed solum miasmaticae, inflammatione vel affectione inflammatoria, passivae indolis, stipatae esse solent. Ob quam inflammationis naturam dissolutio sanguinis atque seri exsudationes saepe observantur.

Cui terrestri et paludoso miasmati vindicandas censeo febres intermittentes, febrem flavam, catarrhum epidemicum.

Febres autem intermittentes illae audiunt, quae per vices impetum ita remittunt, ut plena apyrexia inter duos quosque paroxysmos intercedat. Qui paroxysmi vel regulares vel irregulares, anomales, anticipantes, postponentes obvii fiunt.

Pro periodorum circuitu varia sunt intermittentium genera: quotidiana, tertiana, quartana. Ejusdem vero periodi febris non raro complicatur, ut sit e. gr. tertiana duplex.

Quae in aestate et autumno superveniunt: febres intermittentes characteris biliosi, ad continuitatem inclinant et potius remittentes, quam intermittentes sunt.

A levissima autem febricula ephemera, usque ad febrem flavam americanam progressio non intercepta febrium paludosarum pro majore vi vaporum aquae putrescentis exstat. Nam febris flava americana ex effluviis sentinae putridae navium provenit, atque nullus alius morbus nisi febris paludosa ad perniciosissimam gravitatem exulta proclamandus est.

Malignarum autem febrium intermittentium duplex genus est, alterum comitatarum, quae etsi periodicae intermittant, in accessionibus tamen aliquo periculoso, peculiari symptomate stipantur; alterum subcontinuarum, quae ad continuitatem tendunt extensis ad ipsum intermissionis tempus gravibus quibusdam variisque symptomatibus.

Ad febres intermittentes comitatas perniciosas numerandam censeo inprimis dysenteriam epidemicam, at-

que ejusdem ad summam vehementiam provectam speciem choleram indicam.

Aliae vero intermittentes comitatae sunt, syncopalis, caligida, lethargica, apoplectica et soporosa.

Itaque morbi febriles paludosi maxime perniciosi sunt: febris intermittens biliosa, febris flava americana, dysenteria epidemica, cholera indica.

Febris intermittens biliosa symptomata quidem biliosa offert, sed illa symptomata ab ipsa febre provocata, minime autem primaria, occurrunt. Cephalalgia, quae in regione frontali atque in ipsis oculorum orbitis sedem tenet, quam maxime aegrotum affligit. Lien, hepatis obstruuntur atque intumescuntur. Dolores vagi intestinorum, meteorismus, singultus, spasmi accedunt et saepe penultimo, quarto, quinto a decubitu die, interdum nono, decimo aeger moritur.

Febris flava, quae in Indiis occidentalibus endemica habetur, sed a navigatione itaque a portibus maris originem ducit, citissime e medio tollit aegrum, colorem infert entericum, a quo peculiari ac proprio symptomate nomen sumit.

Cujus febris epidemiae praecipue aestivo et autumnali tempore gressantur.

Intrat morbus ille perniciosissimus nocturnis horis, atque in ejus decursu tria stadia distinguuntur, in quorum primo cerebrum et medulla spinalis maxime afficiuntur, altero stomachus et intestina febris actione praecipue laesantur, tertium est stadium colliquescentiae et virium exhaustio. Quarto vero, sive quinto, sexto a decubitu die aegroti succumbere solent.

Dysenteria epidemica typum tertianum sequi amat. Qualibet autem accessione humores et mucus cruentus tam sursum quam deorsum exit cum tenesmo et torminibus stomachique dolore. Interdum gangraena accedente in mortem terminatur.

CURATIO FEBRIUM PALUDOSARUM.

Saepissime accidit, ut aegri qui febribus intermittentibus laborant non perfecte reconvalescant, nisi et aërem et regionem, qui morbum fovent, cum salubriore commutent.

Ipsius naturae molimina ad subigendum febrile incitamentum methodo antiphlogistica, resolvente sursum et deorsum evacuante adjuvantur.

Remedia autem febrifuga empirica habemus: corticem peruvianum, martem, opium, alia innumerabilia.

Curanda sunt ipsa febris et ejus effectus graves.

Imminentem paroxysmum praevertunt omnia, quae sudorem movent et emetica, quae systema nerveum afficiunt, nec minus empirica illa remedia, quae in systema nervosum magna vi agunt.

Cortice autem peruviano utendum non est, nisi methodis solvente et evacuante praemissis, quia praemature data intermittentem facit remittentem, continuam, biliosam ardentem, atque viscerum infarctus, hydropes, icteros inducit.

Evitanda quoque sunt salia neutralia, quia novos paroxysmos febris provocare solent.

Febres paludosae remittentes sanguinis missionem requirunt, quia inflammatione cerebri et intestinorum saepius stipantur. Emeticorum usus cum aegroti levamine rarius conjunctus est. Sed calomelanos usus quam maxime hic exposcitur, praecipue ob jecoris torporem et obstructions.

In sananda dysenteria habemus indicationem, irritationem inflammatoriam intestinorum sedandi, atque cutis actionem, diaphoresin, sudorem largum excitandi. Diaphoretica vero remedia post blandam evacuationem dare oportet. Interdum sanguinis missio ab inflammatione magis provecta requiritur. Nervorum autem affectionem emeticum ex ipecacuanhae radice sedare et tollere maxime valet.

DE FEBRI CATARRHALI EPIDEMICA.

Aetiologia. Epidemicum miasma ex eo elucet, quod saepe, catarrhalibus affectibus epidemice regnantibus, e communi hoc morbo corripuntur etiam illi, qui jamdiu in cubili, aliis ex causis, se continent, et sibi a frigore aërisque injuriis religiosissime cavent. Quod malum ita celeriter diffunditur, ut a simplici contactu et a communicatione tanta propagationis velocitas pendere non possit, nisi ventorum ope miasmata dispergantur.

Itaque miasma aliquod tellure accusandum est.

Decursus morbi. Totius corporis lassitudo invadit, cum febris cum rigore, mox vagus in pectore dolor, assidua tussi sicca comitante. Pulsus durus, urina flammea interdum turbida observatur. Plerique a morbo convalescunt aut sudore, aut narium haemorrhagia, aut alvi fluxu aut uberiore urina aut omnibus hisce simul concurrentibus evacuationibus, cum sputi item concocti ut plurimum rejectione. Nec malignitatis expers interdum est, nam si sanguinis diatesi inflammatoria magis afficitur, ut in quibusdam epidemicis constitutionibus saepe accidit facile in aneurysmam, aut peripneumoniam aut pleuritidem transit, nisi caute et provide venae sectio et regimen antiphlogisticum adhibeatur.

Febris autem accessiones versus vespere facit, tertia plurimum, aut quarta accessione desinit, interdum ad sextimum, decimum quartum diem potrahitur.

Curatio. Sanguinis circuitus aequabilis restituatur, congestiones resolvantur, perspiratio cutanea promoveatur. In omnibus indicationibus methodus antiphlogistica, resolvens, cathartica satisfaciunt.

§. 2.

DE FEBRIBUS EPIDEMICIS, QUAE AB EFFLUVIIS ANIMALIBUS ORIGINEM DUCUNT.

Respiratio aëris decompositi atque infecti exhalationibus et respiratione, multorum animalium hominumque

CURRICULUM VITAE.

Ego **Nathan Reiss** natus sum **Gedani** hujus saeculi anno septimo, die **XIII** mensis **Aprilis**, patre **David Reiss** mercatore, matre **Lea**, e gente **Jacobsthal**. Pater optimus, proh dolor! ante biennium diem supremum obiit. Veteri fidei addictus sum. Per octo annos **Gymnasia** illa frequentavi, quae **Gedani** atque **Elbingae** florent, deinde testimonio maturitatis munitus ad **academiam Berolinensem** me contuli anno **MDCCCXXX**, atque ab **Ill. Boeckh t. t. Rectore** magnifico in numeram civium academicorum receptus, nomen apud facultatem medicam professus sum.

Per totum studiorum tempus his interfui praelectionibus: **Beat. Rudolphi** de **Anatomia**, **Beat. Knape** de **Osteologia**, **Ill. Mitscherlich** de **Chemia** et de **Physica**, **Ill. Schultz** de **Botanice** et de **Physiologia**, **Ill. Bartels** de **Pathologia** et **Therapia**, **Cl. Froriep** de **Akiurgia**, **Beat. Sundelin** de **Materia medica**.

A viris **Ill. Mueller** et **Schlemm** arte cadavera secandi instruebar.

Exercitationum clinicarum duces mihi fuerunt: medicarum **Ill. Bartels**, **Cl. Wolff**, chirurgicarum **Ill. de Graefe**, obstetriciarum et morborum syphiliticorum **Ill. Kluge**.

Quibus praeceptoribus omnibus magnopere venerandis,
 de summis in me meritis gratias habeo maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico
 et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine ab-
 solutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis,
 summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

Febres epidemicae, exceptis annuis, a febris sporadicis causa proxima, decursu, curatione, omnino differunt.

Dysenteria epidemica est febris intermittens comitata.

Typhus disentericus ab effluvio animali efficitur, in homines agente, quorum valetudo jam a miasmate aliquo paludoso depravata est.

Cholera indica est dysenteria epidemica ad summam malignitatem provecta.

Qua ratione angina scarlatinam comitatur, eadem exanthema intestinale cum febris typhode arctissime conjunctum est.

Glans penis humani cartilagineam amplexatur, quae interdum ossificationem subit.
